Ad Joh. Jacobum Mascovium.

VIR ILLUSTRIS,

Et litteræ, quibus me beasti, et munuscula litteraria cum
a TE, tum ab eruditissimo TEque dignissimo Fratre profecta,
quæ iis, partim rogatu meo, (nam fraterna mihi, ut fatear,
quod res est, polliceri, quam ab ipso Fratre TUO non ausus fuis-
sem) partim sponte TUA, pro summa TUA erga me benevolentia
adieceras, summa et prorsus incredibili me voluptate perfu-
derunt. Eminet inter illa dissertatio ~~[illegible]~~ quam appellas,
sed quam totam Mascovianam, hoc est, et verborum nitore
et rerum pondere tot aliis, quæ prodeunt, longe antistantem
singuli versus produnt. Neque adeo parvam ab excellentiss. Uffelio
et Venerabili Cypriano nostro, quorum uterque TIBI salutem meis
verbis gratiarum plenam adscribit, inivisti, quod precibus ad-
ductus meis non noluisti exempla lucubrationis elegantissimæ
iisdem impertiri. In epistola, latine et Gallice a TE edita, cum
cetera omnia perplacuerunt, tum summa illa Gallici idiomatis
peritia, qua post tot annorum reditum ex Gallia in ea adeo pellu-
cet, ut politius ne Galli quidem scribere posse videantur. Quæ
de le Blatii Operi splendido me docuisti, prorsus consonant iis, quæ

post datas ad TE litteras meas de eodem aliunde didici. Danda mihi erit opera, ut, si minus id ob rationem a TE allatam comparandum duxero, saltem facultatem id peruoluendi lustrandique propius regiae huius supellectilis antiquariae cimelia quam primum nanciscar. Nobiliss. eruditissimoque Fratri TUO, ubi litteras ad eum dederis, salutem meis verbis dices. Dignum curis et vigiliis eius opus noua Scriptorum historiae Augustae editio, cui plurimum lucis utique veteres numi, toto suo in subsidium vocati, (quam in rem velim omnia, quae ex museo Fridericiano peti poterunt, a me, si ita ei videatur, expectet praesidia, dum voluntatem mihi suam vel tribus verbis declararit) affundere poterunt. Ceterum TU, Vir ILLUSTRIS, videris, an ex numis, quorum hic habes indiculum ex catalogis nostris descriptum, inseruire unus et alter instituto TUO possit. Praeter eos argenteus reperitur apud nos, qui totus barbariem spirat, seruatque litteras TOT in area media, qui quin Totilae regis sit, vix dubitari potest. Similem Harduinus inter numismata saeculi Justinianei p. 481 refert, in quo integra voce TOTILE, tametsi eum ille una cum altero gemino collegii sui inter adulterinos numerat

recentesq. ab aliquo impostore fabricatos, et ipsum adeo Totilam Anna-
les falsos tantum praedicare sine haesitatione omni, qui est viri
intus et in cute TIBI notissimi nos, affirmat. Ill. Bartenstei-
nium et vivere et memoriam amicorum, inprimis TVI, tueri
gaudeo. Mirum, ni Lipsia TE Viennam pertrahere conetur;
sed, nisi omnia me fallunt, non modo Viennam, sed ne Lutetiam
quidem vel Londinum TV Saxoniae ocello, Lipsiae, praeposueris.
Vale, VIR ILLVSTRIS, et annum hunc, qui recens iniit, una
cum insequentibus multis ex animi sententia transmitte. mihique
locum, quem iampridem inter TVOS teneo, dum vixero, indul-
gere, pro eximia TVA, qua ceteras animi virtutes ornas, huma-
nitate ne graviare. Dabam Gothae a. d. X. Kal. Febr. MDCCXXXV

ILLVSTRIS NOMINIS

TVI

obsequentiss. cultor
Christ. Sigism.
Liebe.